LEGATIO
REGIS PSITTACORUM
è
TERRA MAGELLANICA
SEU AUSTRALI
pro
SOCIETATE RELIGIONIS
ad
CROMWELLIUM
Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ
Protectorem
ſub polo ſeptentrionali
σύν Θεῷ



Iuxta Copiam Prothocolli
LONDINENSIS.
ANNO M.DC.LVIII.

INSTRVCTIO LEGATI.



Os Optatus primus Dei gratiâ Rex Psittacorum, Inspectori rerum divinarum Desiderio de Oliva, fideli nostro, salutem. Inter graves regni nostri solicitudines, ea non est postrema, ut pietas & obsequium veræ Religionis in ditiones nobis subiectas introducatur. Cumque ad nos certa fama pervenerit, esse quoddam Evangelium, à multis seculis in Asia & Europa prædicatum, cuius gens nostra capax non fuerit; quod postremis his temporibus per viros, extra communem ordinem à Deo vocatos, ad paucula capita redactum; & tandem ad vires tenuitatis nostræ accommodatum sit; futurum speramus, ut Evangelium istud pauperibus destinatum, aliquando in paupercula Regione nostra, per moderati ingenij Præcones, annuncietur. In eum finem convenies Celsissimnm virum Oliverium Cromvellium, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, cum potestate Regia, Protectorem, Deum terrestem (cui volupe est, alta humiliare, humilia extollere) eundemque post consueta Europæis curialia, nostro nomine requires, ut convenientes fidei morumq; Regulas, genti nostræ haut onerosas, ad Nos dirigere; Nos etiam populumque nostrum, divinâ suâ, quâ pollet eloquentiâ, ad fraternitatem cum reliquis Europæ Evangelicis, tanquam universorum Protector legitimus, promovere non gravetur. Quia verò tibi perspecta est ingenii nostri mira exiguitas, pluribus capessendis inidonea, nullam fidei morumq; admittes Regulam, nisi quæ deducatur ad NON ENS, *sive*

 Contradi-

traditionem. Cavebis tibi ab agnitione cuiusvis positivi aut realis; atque inhærebis sedulo Negativis & Destructivis: à qua tractandi ratione invenies Evangelicos non esse alienos. Quapropter ut eò pervenias,

Vtere permisso, caudaque pilos ut equina
Paulatim vellas, deme unum, deme etiam unũ,
Dum cadat elusus ratione montis acervi.

Dices: Nos Psittacos esse, & litem non movere, etiamsi asinus canem momorderit, aut quadrupes pauperiem fecisse dicatur; ut qui sciamus litem lite, noxam noxa parturiri. Pergas prosperè, redi feliciter, refer fideliter. Datum in Palatio residentia nostra Kalendis Aprilis. 1656.

Optatus Rex Psittacorum.

Locus † Sigilli.

Credentiales Literæ Legati Regis Psittacorum ad Cromvvellium Protectorem Angliæ &c.

NOs *Optatus primus Rex Psittacorum Celsissimo Duci Oliverio Cromvvellio, Regnorum Angliæ, Scotiæ ac Hiberniæ, nec nõ Evangelicorũ omniũ per Europam Protectori salutem. Postquã nonnulli ex subditis meis benevolentia Christianorum in Europam abducti sunt, ibique & mores varios, & linguas complures didicerunt; nonnulli ex illis ad Nos, qui in Australi Terra procul ab ista plaga boreali habitamus, redeuntes, magnam attulerunt lætitiæ materiam, referentes imprimis charitatem vestram erga gentem nostram, qua apud longè dissitas nationes in pretio*

pretiosit. Illud tamen non postremum, quod de fide vestra Evangelica retulit Desiderius de Oliva, præsens meus ad Vos Legatus, quem si pro stabilienda inter Nos Religionis concordia ut Oratorem nostrum suscipiatis consueta benevolentia, eundemque nostro nomine audiatis, & eum felici expeditione ad Nos remittatis, celebrabitur nomen vestrum de polo ad polum. Datum in χαῖρε Psittacorum Arce pacifica. 4. Nonas Aprilis 1656.

Optatus Rex Psittacorum.

Loco † Sigilli.

Propositio Legati ad Cromvvellium, Protectorem.

CElsissime Princeps, Regnorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, nec non Evangelicorum omnium per Europam Protector, omnem vobis precor prosperitatem huius, & futuræ vitæ, si quæ supersit, felicitatem ab Optato Rege Psittacorum, Domino meo Clementissimo. Postquam sua Maiestas intellexisset ex subditis suis è partibus Europæ redeuntibus, esse Evangelium pauperibus prædicatum, quod novi Evangelii Præcones reddiderint pauperrimum, exultavit ad relationem pauperis ingenii Regio, amplectendamque, capacitati suæ proportionatam Confessionem, decrevit. Atque ideo sua Maiestas me delegavit, ad accipiendas à Maiestate vestra Protectorali, tanquam Evangelicorum Directore & Defensore convenientes Fidei Morumque Regulas, ad offerendas Societatis fraternitatisque Evangelicæ dexteras, ut

totus orbis intelligat, unam in Meridie & Septentrione teneri confessionem. Quod ut feliciter succedat, placeat Celsitudini suæ aliquem deputare, cum quo tractandi detur facultas.

Actum post Calendas Aprilis, anni 1657.

Resolutio Protectoris Cromvvellii ad Propositionem Legati.

PRæhabita matura deliberatione super propositione Excellentissimi Domini Desiderii de Oliva, Regis Psittacorum Legati, & exspectata motione Spiritus interni, sine qua res arduas aggredi non solemus, uti & præhabito consilio præcipuorum Evangelicorum, sub nostra protectione Deo servientium, quò Evangelium superiore seculo Reformatum, hoc seculo felicissimè restauratum ad Meridionalem orbis plagam facilè propagetur, committimus Doctissimo viro Magistro Trefontio, ut tractet cum Excellentissimo Domino Legato de constituendis fidei morumque Regulis genti Psittacorum convenientibus, in finem inchoandæ fraternitatis & concordiæ Evangelicæ, Nobisque fideliter referat de singulis concordatis, conclusis, stabilitis & confirmatis, ut auctoritate nostra, qua valemus, accedente universa roborentur, & Excellentissimus Legatus cum felici expeditione ad Regem suum dimittatur.

Actum Nonis Iunii 1657.

Confe-

Conferentia I. præstat consensum in Negativis.

DEsid. Magnum semper fuit compendium ad felicem maximorum negotiorum expeditionem, si ordo in tractatibus servaretur Analyticus; eaque prius removerentur, quæ solidæ concordiæ possunt obstare. Si igitur primum liceat agere de Articulis, quos Evangelici dicunt, Negativos, magnum optato successui attulerimus momentum.

Trefont. In ijs, quæ rejicimus à fide nostra, sufficit ostendere cum Daillæo nostro (la foy fondee part. 3. chap. 14. §. 10.) ea in S. scripturis non reperiri. Quamvis enim initio dixerimus, Pontificios, aliosque errantes, in multis Verbo Dei contravenire: hoc tamen, quia altioris est indaginis, non est necesse, ut defendamus, maximè quod subtiliores probationes populus non capiat. Quapropter iam, via diversa ab erroribus, recedimus, quia

Visum est tandem, iuxta vulgi sermonem
Potiùs recurrere, quàm perperam currere.

Nam ut dixi, sufficit nobis, sola negatione instructos, quoslibet errores à fide nostra rejicere.

Desid. Movet me etiam illud Daillæi (part. 1. chap. 3.) quod dicat, in Confessionibus Reformatorum plurimos rejici errores, quorum formalis reiectio partem non faciat fidei Reformatæ. Atque hinc spem concipio, futuræ in hac parte concordiæ; cùm in Regione nostra nihil positivè credatur, quod ceu errorem à fide sua rejiciant Evangelici.

Trefont. Hac fide negativa instructi, universos errores mira facilitate rejicimus; neque tenemur ad ullam rationem proferendam: quia non entium nullæ sunt qualitates.

Desid. Itaque de negativis iungamus dexteras:

Nulla enim est difficultas. Possunt Psittaci non credere. Trefont. Bene.

Conferentia II. determinat aliquot articulos negativos.

DEsid. Diem hesternum albo calculo in suis fastis signabunt Psittaci, quo inventa est cum Evangelicis concordia in admittendis articulis negativis.

Trefont. Sed opus est, ut determinemus nonnullos articulos negativos, tum ut Celsissimo Protectori fiat satis, tum ne ad Regem tuum vacuus redeas.

Desid. Placet.

Trefont. Benè dixit Calixtus noster (Desid. concord. n. 6.) observandum: non esse viri boni, nedum Christiani, aliud sentire, aliud refragante conscientia profiteri. Quia verò multa Pontificiorum non possemus profiteri, nisi contradicente conscientia; ideo tanquam viri boni & veri Christiani sequentes articulos negativos à fide nostra rejicimus.

1. Aliquos libros, quos dicunt Pontificii Canonicos, non credimus esse verbum Dei.
2. Nullas credimus Traditiones, tanquam necessarias ad salutem.
3. Non credimus Ecclesiam Christi semper esse visibilem in terris.
4. Non credimus Pontificem Romanum esse Christi Vicarium.
5. Non credimus Concilia generalia esse infallibilia.
6. Non credimus Episcopum de iure divino esse maiorem Presbytero.
7. Non credimus purgatorium.
8. Non credimus, orandum esse pro defunctis.

9. Non

9. Nõ credimus venerandos esse Sanctos demortuos.
10: Non credimus, Sanctos pro nobis intercedere in particulari.
11. Non credimus invocandos esse Sanctos.
12. Non credimus, Sanctos intelligere nostras preces.
13. Non credimus venerandas esse sanctorum reliquias.
14. Non credimus venerandas esse Sanctorum imagines.
15. Non credimus , Baptismum collatum à Laico esse validum.
16. Non credimus confirmationem esse Sacramentum.
17. Non credimus, pænitentiam esse Sacramentum.
18. Non credimus, ullam vim esse Indulgentiarum.
19. Non credimus , Christum in Eucharistia esse præsentem sub speciebus panis & vini.
20. Non credimus Transsubstantiationem.
21. Non credimus Sacrificium Missæ.
22. Non credimus licitam Communionem sub una specie.
23. Non credimus extremam unctionem esse Sacramentum.
24. Non credimus Sacramentum Ordinis.
25. Non credimus Sacramentum Matrimonii.
26. Non credimus vota Monachorum esse licita,
27. Non credimus esse peccatum veniale ex natura sua.
28. Non credimus peccatum Originale in baptismo auferri.
29. Credimus , nulla esse hominis iustificati merita.
30 Credimus Iustos non posse observare Legem Dei.

Hæc, & alia multa, quæ in nostris libris & Confessionibus occurrent, rejicimus à fide nostra per simplicem negationem.

Desid. Sed ubi tu dicis, non credimus invocandos esse Sanctos, nunquid liceret dicere, credimus non esse invocandos Sanctos: & sic de reliquis?

Tresont. Planè licet, & eo loquendi modo ipsæ Confessiones nostræ utuntur: Abstinemus tamen hoc tempore propter iniquas vexationes Pontificiorum.

Desid. In gente nostra nihil veremur de Pontificiis, utile autem nobis fuerit articulos negativos positivè exprimere, ut fidem nostram negativam solidius profiteamur, & ut præfati articuli ad modum Litaniarum decantentur in nostris Basilicis.

Conferentia III. continet consensum in Articulis non necessariis.

TResont. Sed mi, future frater, Desideri, ut nostra solidè statuatur concordia, non sunt de fæce hauriendæ controversiæ; verum sedulò distinguendum inter Articulos necessarios, & non necessarios, quos alii vocant fundamentales & non fundamentales, essentiales & non essentiales. Hac enim nostra distinctione hostium quorumcunque; maximè Pontificiorum, artes eludimus & elidimus omnes. Huius oportet præsentem semper conservare memoriam, qua, velut clava Herculis, opinionum perniciosa monstra edomantur.

Desid. Videndum erit, ne Hydram secemus, & ne uno sublato incommodo plura enascantur.

Tresont. Nec ramentum quidem, ut dicunt, vel festuca difficultatis supererit, si Calvini, aliorumque nostrorum sententias inspexeris. Asserunt enim uno

uno ore, nullum esse præiudicium unitatis, etiamsi Ecclesiæ dissentiant in articulis non necessariis. Calvinus instit. lib. 4. c. 1. §. 12. 14. 17. & cap. 2. §. 1. Bucanus Lec. 41. de Eccl. §. 21. Marloratus in 1 Cor. 3. 12. & 15, Crocius. Anti-Becan. contr. 3. sect. 11. §. 3. Badecl. in Resp. ad artic. Burdeg. art. 61. , Hoffman Loc. 29. Thess. 7.

Desid. Id maximè conveniet pauperculæ regioni nostræ, ubi moris (quemadmodum apud Evangelicos) sacrum sine fumo facere, & Deo quàm parcissimè reddere oblationes.

Tresont. Sufficit in necessariis articulis statui concordiam, reliquis omnibus posthabitis, Non necessarios nihil moramur pro adipiscenda salute: & sive quis eos non assequatur, non capiat, non penetret, sive etiam male informatus ex professo neget, non propterea arcetur ex nostra communione, & genuina fraternitate. Nam sicut Agnus Paschalis comedebatur, reliquiis igni traditis; ita tenemus necessaria; at non necessaria reservamus igni charitatis Evangelicæ, quo pacificè consumantur.

Desid. Benè dixisti: habebis Psittacos faventes. Illi enim, cùm de articulis non necessariis, non fundamentalibus, non essentialibus per essentiam nihil credant in alterutram partem, neque in illis errabunt, multò minus erunt ex eo capite à fraternitate Evangelicorum arcendi.

Tresont. Dicant Pontificii, quod voluerint, Culicem haud curat Elephantus Indicus. Verus Christianismus non tollitur, etsi quis erret in articulis non necessariis.

Desid. Da dexteram frater; quia hucusque feliciter succedit tractatio. Vestra nihil interest, quacunque ratione credantur articuli non necessarii: nostrâ autem nihil interest, etiamsi non credantur.

Tre-

Trefont. Sancta fraternitas & inviolabilis, Psittaco-Evangelica.

Conferentia IV. designat aliquot articulos non necessarios.

DEsid. Convenimus iam de Articulis non necessariis quidem; sed oportet nostræ genti etiam aliquot non necessarios Articulos designari, quos Doctores vestri Orthodoxi tenuerunt pro non necessariis, ut nemo de facili ad condemnationē alterius, sive credentis sive non credētis prorumpat. Sed se constanter teneat in negativo: NON DAMNO.

Trefont. Pium omnino desiderium, dum enim aliqui minus moderati in condemnandis aliis sunt promptiores, audias frequenter portenta non differentium Theologorum, sed hominum somniantiū. Sed hoc non est mirum, quod Polares ad Boream populi acri passione frigoris subinde perstricti agant contra calorē caritatis. Sed, en, Accipe Doctorū nostrorum censurā de multis non necessariis Articulis.

1. Error, est in re nō necessaria, si quis credat Pontificem Romanum esse Successorem Petri, & Vicarium Christi. Hoc tenuit Hus. de Eccl. c. 9. & 13.
2. Similis error est, si quis credat purgatorium Hoc agnovit VViclefus. lib. 4. Dialog. c. 22. Hus. in serm. de exequiis.
3. Similis error est, si quis credat, preces pro defunctis esse licitas. Has docuit Hus in Elucid. suæ fidei.
4. Similis error est, si quis credat licitè invocari sanctos demortuos. Hoc tenuit Hus. Epist. 22. VViclef. lib. 3. Dialog. cap. 30. Calixtus.
5. Similis error est, si quis teneat licitam esse venerationem imaginū. Hoc admisit Hus. de Adorat.
6. Similis error est, si quis teneat, baptismum à Laico administratum esse validum. Hoc docuit

VVic-

VViclef. lib. 4. Dialog. c. 11.

7. Similis error est, si quis credat, Christum esse realiter præsentem in Eucharistia sub speciebus panis & vini. Hoc docuit Hus. Tract. de corp. Christi & docent Lutherani.

8. Similis error est, si quis credat Transsubstantiationem. Hanc tenuit Hieremias Patriarch. in Censur. Orient.

9. Similis error est, si quis credat Limbum Patrum teste Ioanne Crocio. de unit. Eccl. c. 7.

10. Similis error est, si quis credat descensum realem Christi ad inferos. Teste Crocio. loc. cit.

11. Similis error est, si quis credat speculum Trinitatis. Teste Crocio loc. cit.

12. Similis error est, si quis teneat doctrinam Pontificiam de abstinentia à carnibus. loc. cit. testante Crocio.

13. Similis error est, si quis teneat doctrinam Pontificiam de cælibatu, Teste Crocio. loc. cit.

14. Similis error est, si quis credat omne iuramentum esse peccatum mortale. Hoc VValdenses tenuerunt, teste Reinerio cap. 5. Petro de Pilichdorf cap. 36. Ebrado. cap. 14. Concil. Terracon. Tom. conc. 3. p. 714.

15. Similis error est, si quis doceat, Deum necessitare creaturas ad quemlibet suum actum. Hoc tenuit VViclef. Dialog. lib. 2. cap. 3.

16. Similis error est, si quis doceat, omnia evenire ex necessitate absoluta. Hoc tenuit VViclef. lib. 3. cap. 8.

17. Similis error est, si quis credat, prædestinatos nō habere certitudinē de sua salute, nisi probabilē Hoc tenuit VViclef. lib. 4. cap. 10. Hus de Eccl. c. 5.

18. Similis error est, si quis credat, baptismum delere quodcunq; peccatum. Hoc credidit VViclef. 4. cap. 11.

19. Simi-

19 Similis error est, si quis credat matrimonium esse Sacramentum. Hoc tenuit VViclef. lib. 4. cap. 20.

20. Similis error est, si quis credat, per adulterium unius partis non dissolvi vinculum matrimonii. Hoc docuit VViclef. lib. 4. cap. 21. Hus de Matrim. cap. 1.

21 Similis error est, si quis doceat, tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem. Hoc docuit Hus. de pænit.

22. Similis error est, si quis credat, omnia peccata integrè confitenda esse Sacerdoti. Hoc tradidit Hus. ibid.

23. Similis error est, si quis credat in Missa offerri sacrificium propitiatorium. Hoc credidit Hus. de Sacram. cap. 1.

24. Similis error est, si quis credat, malos in Sacramento accipere corpus & sanguinem Domini. Hoc credidit Hus. ibid.

25. Similis error est, si quis credat in Sacramento tamdiu esse corpus & sanguinem Domini, quamdiu manet species panis & vini. Hoc credidit Hus. ibid.

26. Similis error est, si quis credat Leges Ecclesiæ obligare conscientiam. Hoc credidit Hus. de corp. Christ.

27. Similis error est, si quis credat, non prædestinatos ad vitam æternam quandoque iustificari, & accipere remissionem peccatorum. Hoc credidit Hus. de Eccl. cap. 3.

28. Similis error est, si quis credat prædestinatos ad vitam æternam posse in hac vita excidere ex gratia. Hoc credidit Hus. ibid. cap. 5.

29 Similis error est, si quis neget, perpetuam virginitatem B. Mariæ. Teste Crocio. de unit. Eccl. cap. 17.

30. Si-

30. Similis error est, si quis asserat, Spiritum S. à Patre per filium procedere. Croc. loc. cit. Vides in præfatis exemplis mansuetudinem veri Christianismi, quæ multa suffert, multa tolerat pro universorum tranquillitate & pace, sine qua nemo ad beatam perveniet æternitatem.

Desid. Placet mihi illa tua clementia contra nefandi schismatis duros ac diros Patronos.

Trefont. Hoc igitur sit fixum ac firmum, malè agere eos, qui ex nostris damnant tàm credentes, quàm non credentes Articulos illos; qui non sunt necessarii; quoniam in his licet errare salva caritate Psittaco-Evangelicâ.

Conferentia V. præstat consensum, ut nemo, condemnetur etiam propter eversionem fundamenti per solam consequentiam.

TRefont. Postquam nonnulla removimus, quæ videbantur obstare posse ineundæ inter nos fraternitati, necessè est explicare reconditum Theologiæ nostræ mysterium, quomodo nullus condemnandus sit etiam propter eversionem Fundamenti, quæ tantum declarari potest per consequentiam ex scripturis deductam.

Desid. Magnum Regi meo præstiteris beneficiũ. Quò enim plura ab obiecto fidei necessario removentur; eò minor erit in reliquis difficultas.

Trefont. Agnosco, multa ex scripturis per firmã consequentiam posse deduci, quæ sunt cognitu perquam utilia: sed sub amittendæ salutis periculo eum demum tenenda sunt, cùm in Scripturis contineri, vel ex scripturis necessariò consequi manifestè declarentur & intelligantur, uti preclarè tradit noster Davenantius. Epist. ad Duræum.

Desid.

Desid. Apprimè placet ea propositio: quantum enim capio, nemo ex tali errore damnabitur, nisi intelligat se errare. Psittaci igitur, qui non intelligent se errare, versabuntur extra periculum amittendæ salutis, etiamsi eiusmodi errorem tuerentur.

Trefont. Qui aliquid falsi admisit animo, non ideo & cætera omnia, quæ ex eo eveniunt, absurda agnoscere eum, & tueri concludendum est. Sic olim Tertullianus & è vestustissimis Patribus nō pauci animam humanam ex traduce propagari docuerunt: at mortalem esse (quod ex illo consequitur) non modo non concesserunt, sed constantissimè clarissimeque negarunt. Sane neque Tertulliano, & paria cum ipso de animæ humanæ origine sentientibus, affingendam existimamus eiusdem mortalitatem, quod hic error ex illo colligi posse videatur. Ita Minist. Eccl. Gall. ad Duræum. vide Daillæi Apologiam. cap. 9.

Desid. Maneat igitur inter nos conventum generaliter: quod, quicunque tenet, & profert aliquid, ex quo, necessaria aliqua deductione, & sequela, hæresis videatur posse colligi, si ille hæresim illam expresse detestatur, & paratus est suum dictum abiurare, si viderit sequi ex eo hæresim, pro hæretico neque habendus est, neque ut hæreticus vitandus. Vide Marc. Anton. de Domnis lib. 7. cap. 12. n. 8.

Conferentia VI. Declaratur exemplo quorundam Doctorum Protestantium, quid & quantum possit fieri contra conventa in præcedenti conferentia, salva caritate Psittaco-Evangelica.

T*Refont.* Sed oportet etiam contrariam sententiam nostrorum Doctorum manifestare, ne quid videar dissimulasse. Secundum Petrum Martyrem igitur Epist. 42, Non vere dicitur, ut qui negat

con-

conſequens, minimè inficientur antecedens: id enim reipſa negant, tametſi verbis dare videantur; everſio quippe conſequentis adeo pugnat cum antecedenti, ut ſimul nequeāt conſiſtere. Aliter tamen ſenſit idẽ Martyr, quando dixit: quæſtionem de Euchariſtia cum Lutheranis controverſam, tanti eſſe non debere, ut inter fideles communionem & charitatem diſſolvat. Poſſem plures ex noſtris adducere, idẽ cũ Martyre ſentientes, ſed nihil opus eſt in re aperta.

Deſid. Quamvis ad Pſittacos nihil pertineat, ſive priorem ſententiam, quæ negativa eſt, ſive ſimul poſteriorem, quæ ei contradictoria eſt, Proteſtantes tueantur: gratum tamen erit noſſe, quæ inde ad vos redeat utilitas.

Treſont. Magna omnino & incomparabilis. Si enim Vnionem tractamus, cum aliis Eccleſiis Chriſtianis, priorem ſententiam amplectimur: ſin autem adverſus Pontificios alioſve refractarios bello decertamus offenſivo, poſteriorem ſententiam, velut gladium utraqueparte acutum, fortiter protendimus.

Deſid. Laudo ingenium. Sed placetne idipſum uno alterove demonſtrare exemplo?

Treſont. Imo. quod igitur ſpectat ad illas controverſias de omnipræſentia corporis Chriſti, de idiomatum communicatione, quiſquis cum iudicio perpenderit, quid utrinque concedatur, quid negetur, perſpiciet illico nullum fundamentalem articulum, ſive ab his, ſive ab illis in dubium vocari, nedum oppugnari aut everti. Quidquid enim ab Eccleſia Catholica in ſymbolis conciliiſq; univerſalibus hiſce de rebus definitum eſt, id utrique pariter rejiciunt & abominantur. Quod autem per conſequentiarum funiculos, alii alios aliquando pertrahere conantur in lutum ſordidorum hæreticorum, id nõ tam mirandum quàm dolendum eſt. Davenant. ad Duræum Epiſt.

Desid. Mitis est illa de Lutheranis sententia.

Treson t. Audi nunc etiam contra riã. Iuxta nostros, Lutherani in hac parte superant absurditate Eutychen & Svvenckfeldium: superant Marcionis figmentum: partim ipsis dogmatibus partim ex his consequentibus absurdis multipliciter doctrinam Ecclesiæ depravant, articulos fidei evertunt, in spectra & allegorias transmutant, & in sensus alienos detorquent, hæresium & idolorum fundamenta ponunt, & radices plantant. Vide Admon. de lib. Concord. cap. 9. &c.

Desid. Opportuna nobis erit illa sententiarum contrarietas: dum enim neutra à vestris tenetur, tanquam necessariò amplectanda, licebit Psittacis vel solam negativam, vel utramque oppositam invicem destruentem, adeoque in nihilum recidentem, pace vestrâ tueri.

Tresont. Nimium crassè hoc exprimis. non est mos ille apud nos ita crassè loquendi; sed cum discretione, & observata temporum & locorum ratione, uti dictũ fuit, quando contra alios & alios pugnamus.

Desid. Hoc probè capio. ego plané & quod res est dixi. pergamus nos in caritate nostra.

Tresont. Dabo aliud exemplum. Dissidium nos inter & fratres nostros, quos Lutheranos nuncupant, enatum de cœna pietati præjudicium nequaquam facit. Agnosco non magis posse nos credere, quam concipere, quod ponunt, corpus Domini esse præsens realiter intra panem Eucharistiæ. Nihilominus hæc, quam tuentur opinio, hos intra manens terminos, nullum habet venenum. Non tollit Christo formaliter, directè, & immediatè nec substantiam suam nec proprietates suas. Hypothesis hæc nulli nos involvit, quod sit oppositum seu pietati, seu charitati, seu honori Dei aut bono hominum. Ea propter

ter Regni hujus Ecclesiæ, conformiter haud pridem in ultima earum Synodo Nationali, Carentonij, anno 1631. decreto expressè sancito, Lutheranos, quos vocant, communioni & mensæ admittunt propriæ hac non obstante opinione, & paucis alijs minoris adhuc momenti, particularibus, quæ communiter nobiscum non tenent. Inquit Daillè Apol. cap. 7. Alii etiam ex nostris similia nec semel, nec privatim tantum declararunt.

Desid. Laudabilis est ista vestrorum mansuetudo eximia.

Trefont. Ecce tamen, quid etiam in contrarium teneamus, sive in Confessionibus nostris publicis, sive in earundem annotationibus. Damnamus manducationem carnalem Capharnaitarum, Pontificiorum, ubiquitariorum, includentium corpus Christi in pane. Damnamus transsubstantiationem & inclusionem: quia corpus Christi corporaliter manducari non potest citra flagitium & truculentiam. Pernegamus Sarcophagiam corporalem & cruentam, hoc est, ore corporali naturale Christi corpus ex virgine natum sumi in cœna. Eorum insaniam damnamus, qui asserunt sarcophagiam, id est, ore corporali sumi Christi corpus naturale, sanguinolentum sine ulla mutatione aut transsubstantiatione. Antropophagi aut Sarcophagi delirant, dum somniant panem quidem videri, & panem non mutari in corpus: tamen pane manducato, realiter & substantialiter corpus Christi ore corporali sumi.

Desid. Video vos in utramque partem paratos; neque nostræ genti in eo adversos, ut quæ idem neget & affirmet de ijsdem, citra periculum mendacij, prout placet.

Trefont. Cum antedicta discretione καὶ τῆς παῤῥησίας καὶ τοῦ συγκριτισμοῦ. Ignosces, quod his elegan-

tissimæ significationis nominibus utar. aliæ extra Græciam linguæ paria & aptiora nomina nobis non suppeditant quorum tamen posterius Cretismo valde affine cautè est usurpandum.

Conferentia VIII. *inquirit de articulis fundamenttaibus.*

TRefont. Iam multa satis, uti vides, à nostra fide, in Gentis vestræ gratiam removimus, ita ut nobiscum sentiendi & loquendi nulla in his possit esse difficultas. At major difficultas erit in positivè credendis articulis nostris fundamentalibus.

Desid. Fateor, me ad solum nomen positivè credendi exhorrescere. Vereor enim haud immeritò, ne omnis nostra tractatio in nihilum recidat, si quidem opportunum defuerit remedium: de quo tamen non omnem spem depono, postquam vestram hactenus in condescendendo expertus sum humanitatem.

Trefont. Mihi quidem hucusque nullum est perspectum remedium, quô vestræ Gentis infirmitati, adeo ad mera negativa credenda natæ & pronæ succurri possit: Non tamen ideo mihi persuadeo nullum inveniri posse. Tentemus. Ex nostrorum sententia, substantia credendorum est in Symbolo: id est, necesse est credere omnia, quæ nobis in Evangelio promittuntur, quorum summa in Symbolo Apostolico est. Ideo illud Symbolum ponitur uti fundamentum omnium nostrarum Confessionum.

Desid. Laudabiliter. scribit enim vester Davenantius, ut mihi relatum est, Articulum, qui Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ temporibus non fuit fundamentalis, nostris affirmationibus, altercationibus, anathematismis nunquam evasurum fundamentalem. Ep st. ad Duræum.

Trefont. Sit itaque hæc prima & præcipua nostra cura,

cura, accuratè in hoc ipso Symbolo distinguere & secernere fundamentalia à non fundamentalibus: postquam enim in ijs consenserimus, reliqua oportebit exprimere paucis & claris verbis, ut communi consensu statuminentur.

Desid. Ego nomine Domini Regis mei nequeo admittere totum Symbolum Apostolicum, ut fundamentale: continet enim multa affirmativa, quibus amplectendis noster non sufficit populus. At vero, nec mihi persuadeo, vos urgere fidem positivam totius Symboli. Nam totum servitium Dei consistit in duobus punctis, scilicet in benè faciendo & benè credendo. Et quidem summarium primi habemus in lege Dei, & secundi in Symbolo. At multi pervenerunt ad salutem, quibus tamen utriusque horum non fuit notitia, imò neutrius. Ecce Ionas non proposuit hæc omnia Ninivitis, quorum tamen conversioni testimonium reddit Iehova. Agnoscis, puto, sententiam Molinæi in Novit. Pap. lib. I. cap. 22. Possem igitur sic colligere, secundum exiguitatem ingenii mei. Totum servitium Dei consistit in benèfaciendo & benè credendo. Sicuti igitur juxta Protestantes, fideles benè faciunt, licet peccent mortaliter in omni opere; ita juxta Protestantes, debent fideles censeri benè credere, etiamsi errent in singulis articulis fidei. Quo enim fundamento plus requiretis ad benè credere, quam ad benè facere? sed hæc subtilia dimitto. Docet Molinæus, multos pervenisse ad salutem, qui non sciverunt totum Symbolum. Quonam igitur jure dicebas totum Symbolum esse necessarium & fundamentale? Liceat nobis pauperculis supra Ninivitas non onerari: liceat nobis post Molinæum ab essentialibus fidei dimittere, de quibus non constat, quod per Ionam sint prædicata: liceat nobis à necessitate Christianismi

remo-

removere, quod Iudæis alijsque conversis non fuit necessarium.

Trefont. Distinguendum est, ut ante dixi, subtiliter, inter res necessarias: quia multa videntur esse multis necessaria, quæ tamen juxta dictamen scripturarum, & sententiam nostrorum non sunt absolutè talia.

Desid. Mitissima est, ut mihi relatum est, sententia Ioannis Crocij, quæ certam concedit salutem, si quis veritatem de gratuita peccatorum remissione propter solius Christi meritum fuerit complexus. Tom. 1. Anti-Becan. contr. 3.

Trefont. Agnosco, facillimam esse sententiam, ad præscindendas plurimas difficultates.

Desid. Bene. Iam non diffido de ulteriore parresia nostra & syncritismo.

Conferentia 8. Adfert Psittacorum motiva pro societate Religionis cum Protestantibus.

Desid. Pono, ex Protestantium doctrina, tanquam rem indubitatam, non subverti fundamentum fidei in omnibus, etiamsi quis erret in uno articulo fundamentali. Patet idipsum exemplo Apostolorum, qui errabant in articulo de resurrectione Christi, non intelligentes scripturas. Articulus erat fundamentalis; neque ideo oppositus error fundamentum evertebat in omnibus; quoniam credebant, Iesum esse verum Deum & hominem. Primi fideles errabant in articulo de Sanctorum communione, utique necessario; quod Gentes ad eam non pertinere putarent; neque tamen propterea omnium articulorum fundamentum destruebant. Plurimi ex Patribus de adventu Christi ad judicium erra-

runt, statuentes, ante extremum diem regnaturum mille annos in terris cum sanctis. Multi errarunt in articulo de vita æterna, negantes beatos videre faciem Dei ante extremum diem. Quis dicat evertisse fundamentum in omnibns articulis? vid. Crocium. comment.de August.confes.,q. 2.c.43.

Tresont. Confirmo idipsum ex nostro Eilbrachto, qui licet teneat Lutheranos fundamentaliter errare in articulo de cœna Domini, eorundem tamen non refugit communionem. Epanorth.cap.13. Confirmo etiam ex Scriptura; quia inter Corinthios erant, qui negabant mortuorum resurrectionem, quo non obstante vocat eos Apostolus sanctificatos in Christo Iesu. 1. Cor. 1. Confirmo insuper ab exemplo Galatarum, qui tenebant observationem Legis Mosaicæ cum Evangelio, esse necessariam; nec tamen ideo è fidelium numero tolluntur ab Apostolo. Galat. 1.

Desid. Qui subtilitatibus scholarum sunt assueti, possunt fortassis ex dictis probare, unionem & fraternitatem Religionis inter nos esse possibilem. Ego qui istis assuetus non sum, considerandum vobis propono, an Psittacis non potius indulgendum sit, ut uno solum articulo fundamentali salventur potius, quam alii à vobis multum diversi Lutherani, Papistæ, &c. hi enim in plurimis vobis adversantur, & gravissimis detinentur, uti censetis, erroribus: Psittaci autem in nullo errant, & vobis mille modis obsequuntur. Nolite ergo hoc negare genti nostræ, siquidem recte perspectam habeo benevolentiam vestram, qua universos complectimini. Deinde ex vestra sententia, non sunt ei neganda jura fraternitatis, qui citra malitiam apertam, & pervicaciam præconceptam negat articulum fundamentalem: ideoque non perspicio, qua ratione, qua æquitate

nobis ſocietatem Religionis denegaretis, qui nullum profectò articulum fundamentalem negamus, nullum quoquo modo deſtruimus; licet pro tenuitate ingenii noſtri unum illum articulum neceſſarium non aſſequamur.

Trefont. Iterum nimis craſsè iſta dicuntur. mallem ſubtilius iſta conſiderari, niſi perviderem ſimplicitatem gentis veſtræ, ſane aliter procedendum putarem. Itaque quod res eſt, dicam, horreo Fraternitatem recuſare. Non eſt de trivio iſta conſideratio, fraternitatem recuſare; nec tamen audeo eam ſuſcipere ob futura variorum minus æqua judicia.

Deſid. Illa debemus audientes non audire.

Trefont Sed noſtra Religio malè audiet, ſi Pſittacos in ſocietatem recipiamus nihil credentes.

Deſid. Verbum, credere, uti vobis perſpectiſſimum eſt, varie accipitur. In confeſſionibus veſtris aperte dicitis, vos credere non eſſe invocandos ſanctos demortuos; vos credere, non eſſe purgatorium: & alia ſimilia non pauca. Et tamen ibi verus & genuinus ſenſus eſt, quod non credatis invocandos eſſe demortuos, quod non credatis eſſe purgatorium, & ſic de aliis. In plurimis illis Pſittaci vobiſcum credent, & ſubſcribent propriis terminis veſtrarum Confeſſionum, ſine omni dolo & fraude, cuius non ſunt capaces. Imo unum eundemq; vobiſcum laudabunt Deum verum, moniti non in vanum à Pſalmiſta Regio Pſalm. 149. 10. Laudate Dominum volucres pennatæ. Eidem benedicent provocati in trium puerorum cantico. Dan. 3. Benedicite omnes volucres cæli Domino. Ideoq; cum Pſalm. 36. 7. dicimus, Homines & iumenta ſalvabis Domine, quẽadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Abſit ut Pſittacos recipiatis nihil credentes, nihil pro honore Dei facientes, quin imo laudant eũ ſine pecca-

to,

to, quod Proteſtantes agnoſcunt, ſe non poſſe.

Trefont. Si Lutheranus aut Papiſta, aut alius eo modo ageret nobiſcum, vererer ut patientia & humanitas ſalva ſubſiſteret. At veſtræ ſimplicitati ignoſcendum eſt amplius, Rogo itaque ut citra conclusionem fraternitatis, de qua non admiſſa ſolenniter proteſtor, interim de aliis agamus, ut liceat omnibus auditis & ponderatis ad Clementiſſimũ Dominum meum referre, eiuſdemque tum ſublimem, tum ſalutarem pro veritate & æquitate reſolutionẽ amplecti, quoniam inſtar Dei exaltata eſt eius ſapientia ſuper ſapientiam noſtram.

Deſid. Priusquam hoc ſupremum oraculum adeatur, tentemus alia via, quod intendimus.

Trefont. Fiat.

Conferentia IX. ſtatuit concordiam de Deſcenſu Chriſti ad inferos.

DEſid. Pono tanquam indubitatum fundamẽtum, uno articulo fidei fundamentali credito, nobis poſſe ſalutem contingere: illud enim ex veſtra doctrina fluit Atqui Pſittaci eadem porrò ratione credunt Deſcenſum Chriſti ad inferos, qua à veſtris creditur. Proindeq; nihil illis deeſſe exiſtimo, quo minus ſalutis, atque exinde veſtræ fraternitatis ſint capaces.

Trefont. Eſſe eũ articulum fundamentalem lubens agnoſco cum noſtris Doctoribus. Senſum eius à Magiſtris Proteſtantibus aliter atque aliter accipi nullum eſt dubium. Sed quidquid ſit de eo, quomodo dicis Pſittacos credere iſtum articulum?

Deſid. Dico cum hoſpite veſtro, Marco Antonio de Domnis lib, 7. Repub. Eccl. cap. 12. Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, non negant Proteſtantes, Sed quis ſit ſenſus huius articuli in nullo

in nullo articulo fidei invenitur. Fide enim non constat, quomodo Christus ad inferos descendit. Neque certum habemus, eum articulum semper in symbolo Apostolico lectum & recitatum fuisse. Huius articuli verum & genuinum sensum, neque Apostoli tradiderunt, neque Ecclesia definivit. Ita & Psittaci cum Protestantibus non negant Christum descendisse ad inferos: imo profitentur, se credere eum articulum corde vacuo, mente inani, utpote sensu Apostolico & Ecclesiastico destitutum.

Trefont. Haberem, quæ dictis tuis opponerem: sed modicæ difficultates non impedient fraternitatem nostram, quoniam valde aveo Indiam Australem nostræ Ecclesiæ adiungere, uti orientalem & occidentalem suæ iunxerunt Papistæ.

Conferentia X. statuit concordiam in articulo de Ecclesia.

DEsid. Ecce, quàm liberaliter vobiscum agam. Poterat mihi, per vestram doctrinam, fides unius articuli fundamentalis sufficere: sed dabitur fortasse modus, quo Psittaci eandem vobiscum credant Ecclesiam Catholicam.

Trefont. Ego quidem idipsum optarem, pro bono communionis Ecclesiasticæ promovendæ: sed id fieri posse mihi non persuadeo.

Desid. Prænominatus Marcus Antonius nobis aperit viam loco allegato; nam illi, ad fidem non pertinet, quinam Ecclesiam constituant. Nos proinde cum ipso profitebimur vocaliter, Ecclesiam Catholicam, excludentes à fide nostra notitiam membrorum Ecclesiæ, ut quæ pertineat ad disputabilia, & peritiam scholasticam.

Trefont. Video nostrum quondam hospitem haud

haud modicè allaborasse statuendæ inter nos fraternitati. Profectò, si ad fidem non pertinet, esse certum cætum, qui sit Ecclesia; sufficiet verba illa, de Ecclesia Catholica, exterius profiteri, ut communio Ecclesiastica inter nos coalescat.

Conferentia XI. adfert concordiam etiam in articulo de Communione Sanctorum.

DEsid. Nos etiam possumus cum Protestantibus articulum de Communione Sanctorum profiteri. Nam, ut præclarè explicat Marcus Antonius loco allegato; sanctorum communionem satis credit, qui assentitur fideles omnes (nescio quos, aut ubi terrarum commorantes,) in una Ecclesia, una communione charitatis, & Sacramentorum colligatos.

Trefont. Num Psittaci possunt in hoc assentiri quod manifestè positivum est?

Desid. Non possemus, si esset merè positivum. Sed quia articulus ille sequitur Ecclesiam vagam, nullatenus determinatam; possumus de tali Ecclesia quidlibet admittere, tanquam in vago, & interminato fundatam subiecto.

Trefont. Vtinam gravior nulla superesset difficultas! pateret in hac parte locus consentiendi.

Conferentia XII. ostendit articulum de Remissione peccatorum non esse fundamentalem.

DEsid. Sentio, mî frater, quò tendas. Difficultatem tibi persuades futuram in articulo vicino de Remissione peccatorum. Ibi tamen nulla est, uti videbis.

Trefont. Quomodo ibi nulla difficultas esset, ubi est

ubi est basis totius Reformationis nostræ.

Desid. Vestri docent, fidelium infantibus non imputari peccatum originis, eosdemque sine baptismo regenerari. Gomarus in *Synod.* Dordrecht. ad art. 1. *Psittacis nequit imputari peccatum originis, quod nullum in Adamo contraxerunt: ideoque nec indigent eius remissione. Tantundem dico de alijs quibuscunque peccatis: nam gens nostra actuales transgeressiones omninò ignorat, nec est earum capax.*

Trefont. Ista ratione non male probas, articulum de remissione peccatorum ad populum vestrum non pertinere; sed hoc non sufficit ad communem inter nos fidem.

Desi. Iuxta doctrinam Protestantium requiritur, ut fideles certâ fide credant, sibi remissa esse peccata, Amesius. Bellarm. enerv. lib. 6. cap. 1. Thes. 3. juxta eandem doctrinam, etiam viri sancti hæsitant de favore Dei, quando graviores premunt adversitates. Calvinus lib. 3. instit. cap. 2 §. 17. juxta eandem doctrinam non omnes justificati statim ab initio suæ justificationis sunt certi de remissione peccatorum, Ames. ibid. thes. 13. Consequenter, certâ fide credere, sibi remissa esse peccata est necessarium & non necessarium ad tenendum articulum de remissione peccatorum; nec non ad obtinendam justificationem. Quocirca, si verus sensus est necessarius & non necessarius in eo articulo, nequit profecto esse fundamentalis; nisi omnes illos à vestra fraternitate arceatis, qui agnoscunt se præfata certitudine destitui. Sublata positi sensus necessitate, non tantum removeri potest iste articulus ab essentia fidei; sed etiam propter involutam contradictionem, à Psittacorum prosapia, ad similitudinem negatiorum acceptari.

Trefont.

Tresont. Antea nimis crassè & quasi ruditer Tua fraternitas loquebatur, .modò fere nimis subtiliter, Nos odimus subtilitates vexantes. Alias non comtennenda est ista consideratio; multam nostræ concordiæ facilitatem allatura. At vero, cum agatur de summa rei, finalem determinationem celsissimo Protectori reservemus, qui tanquam spiritualis judicat omnia.

Conferentia XIII. exhibet consensum in rebus morum.

DEsid. Cum hucusque non sit infelix conferentiarum nostrarum de credendis progressus, libet porrò quærere, an in moribus fidelium bonis vel malis hæreat aliquod gravamen, propter quod à Fraternitate vestra nostra Gens excludatur. Breviter dicam. Video hic non optimos vigere mores; quamvis mihi persuadeam Celsissimum Protectorem optare integerrimos.

Trefont Fieri non potest, quin in Fdelium moribus reperiatur, quod meritò reprehendas, dum modicus defectus per consuetudinem in plures derivatur.

Claudo vel uni si propinquus manseris.
Disces & ipse claudicare protinus.

Si vel paucis mensibus nobiscum subsistas, disces ab Aulicis, dicere, quod non cogitas; disces à militibus, rhedariis, & nautis per centena millia Sacramenta iurare, etiamsi nullum credas; disces à rerum novarum cupidis facta evulgare, etiamsi nescias.

Desid. Talibus moribus etiam apti sunt Psittaci nostri, dicunt indies, quod nesciunt.

Trefont. Sed quod caput rei est, acutissimi vir ingenii Ioannes Calvinus, docuit nihil esse in moribus vitiosum, quod sufficiat negandæ fraternitati. Iustit. lib. 4. capite 1. §. 13. 16. n. 18.

Desid.

Desid. Per Iehovam, subtilissimè & nostro populo accommodatissimè. Quamvis, igitur in Psittacis nostris mores antiquorum Christianorum non invenias, præstant tamen aliquantulum in hac parte Protestantibus, qui optimos quosvis suorum actus peccata nuncupant. Id mei Psittaci non faciunt.

Trefont Vtinam in reliquis non foret maior difficultas, etiam nunc dexteram societatis porrigerem.

Conferentia XIV. de ritibus Ecclesiasticis concordiam.

DEsid. De ritibus Ecclesiæ & jeiuniis tenent Protestantes, opinionem, acquirendæ per ea justitiæ gratiæ aut meriti, plane removendam esse. Conf. Argent. cap. 21.

Trefont. Addimus, & obligationem conscientiæ ab iis observationibus esse excludendam; omnemq; persuasionem, quasi per eiusmodi opera Deus coleretur. Conf. Belgica. art. 32.

Desid. Hæc omnia sunt apertè negativa, ideoq; à nostra progenie non sunt aliena. Negabimus vobiscum contra Pontificios & quoslibet alios, Deum sive ieiunio, sive humanis ritibus colendum esse; negabimus ullius conscientiam istis obligari posse, maximè si qui fuerint nobis similes, conscientia destituti; negabimus etiam, quod istis vel iustitia vel gratia, vel meritum obtineatur, de quibus omnibus nulla nobis est solicitudo.

Trefont. Sed interim aliqui ritus in Ecclesia observandi sunt pro decore & ordine.

Desid. Vos ipsi docetis, varios posse esse ritus particularium Ecclesiarum, pro arbitrio cuiuscunque determinandas. Vestros noles nobis obtrusos,

ne li-

ne libertati nostræ præjudices. Itaque iustum est, ut nostris Ecclesiis relinquas dispositionem rituum; in quibus spondeo nihil futurum, quod adversetur Evangelio.

Tresont. Placet.

Conferentia XV. obtinet consensum de communione sub utraque specie.

TResont. At verò ingens est difficultas de communione sub utraque specie; nec nullatenus video, qua ratione hanc superemus, quod sit præceptum Christi affirmativum.

Desid. Ne despondeas animo, mi frater. Si quid intelligo, ipsi Protestantes, in hac materia, viam sternent optatissimæ concordiæ.

Tresont. Aveo audire, quid proferas in eam rem oppottunum.

Desid. Nonne docent Protestantes, pro vino usum aquæ esse licitum?

Tresont. Docent id licere in casu necessitatis, quæ legem, quomodo potest, servat. Molinæus. Novit. Papis. cont. 12.

Desid. Potestne casus necessitatis aliam materiã Sacramento substituere, à Christo non institutam? Si id non possit, in tali casu dabitur communio sub una specie; altera nimirum ad Sacramentum non spectante. Adest etiam aliud fundamentum in hac causa peremptorium. Nonne docetis, abstemiis posse administrari communionem sub una sola specie panis? Molin. loc. cit. Disciplin. Eccl. Gall. cap. 12. art. 7.

Tresont. Tace, tace; ne hoc quisquam inaudiat Papista, qui inde concluderet, non esse præceptum divinum communicandi sub utraque specie.

Desid.

Desid. Papistæ sunt ignorantes. Sic enim Dialecticè concludendum foret: Ergo est, & non est Evangelicis præceptum divinum communicandi sub utraque. Quæ conclusio habet verissimum dogma, Protestantibus nobisque Psittacis commune. Protestantes libenter versantur in contradictoriis, & nostra regio amplectitur fide pauperrima formales contradictiones; tanquam non entia.

Tresont. Audi mysterium: inter privatos nostros parietes tenemus, non esse præceptum Christi indispensabile, ut omnes communicent sub utraque specie, tum propter abstemios nostros, tum propter casus necessitatis hinc inde occurrentes: imò in quibusdam locis multi fideles nunquam communicant, quos tamen propterea in infirmitatibus & morbis non deserimus, quamvis iisdem nec tunc S. cœnam administremus.

Desid. Bene habet: & Psittaci vobiscum credent, non esse præceptum unicuique fideli sub utraque specie communicandi; quia hoc merè negativum est. Clamabunt interim (in vestri gratiam) adversus Pontificios, esse præceptum; etsi nihil intelligant. Siquidem verò Psittacis locum inter vestros fideles concesseris, qui citra contemptum abstinent à communione; nihil erit, quod ab iis ulterius desideres.

Tresont. Sanè, præter opinionem meam in eandem pervenimus sententiam.

Conferentia XVI. concordiam præstat de numero Sacramentorum.

DEsid. Torsit me multum illa cogitatio, quomodo in numero Sacramentorum statui possit concordia; neque inveni modum elabendi à posi-

tiva affirmatione, donec ſenſum didici popularis veſtri, patriſq; Proteſtantium Ioannis VViclef, in hunc modum proteſtantis: Quantum ad iſtam materiam, de ſignis, ſum pauper animo; cum cognoſco, quod multa dicta in iſta materia habent nimis debile fundamentum, & propter aggregationem ac inſtitutionem in terminis, difficile eſt loquentibus habere viam inexpugnabilem veritatis. Non enim video, quin quælibet creatura ſenſibilis ſit realiter ſacramentum, quia ſignum à Deo inſtitutum, ut rem ſacram inſenſibilem ſignificet, cuiuſmodi ſunt Creator & creatio, & gratia Creatoris. Nec didici picatias, ex quibus picatiis adiectis hoc nomen ſacramentum, limitari debet univocè ad hæc ſeptem Ideo deſperavi de univocatione. Dialog. lib. 4. cap. 1.

Treſont. Præclarus fuit iſte Doctor in noſtra regione, & ſenior aſſidentium ad unam menſam Miniſtrorum, qui hìc & Amſtelodami & alibi ſunt excuſi vivis iconiſmis. ſeniorem illo non agnovit hactenus noſtra religio.

Deſid. Præclara quoque eius ſententia haud parum momenti allatura fraternitati noſtræ videtur. Idcircò idem ſenior & Doctor veſter Ioan. VViclef per omnem modum Magnus in regione noſtra Patronus Pſittacorum habebitur. Agnoſcit, ſe in materia de ſacramentis eſſe pauperem animo: & nos paupertatem animi noſtri profitemur. Agnoſcit, in iſta materia difficile eſſe, ut quis habeat viam inexpugnabilem veritatis; ideoque deſperat de univocatione. Nos, quia deſperamus de profeſſione cuiuſcunque numeri, nihil ſolliciti ſumus de via veritatis nobis ignota. O magnum virum & merito venerabilem, qui quamlibet

creaturam sensibilem realiter facit Sacramentum. Tota igitur nostra regio, quot habet Psittacos, tot habet Sacramenta: & ego Desiderius sum realiter à parte rei, pure, simpliciter & absolute Sacramentum; quia sum signum à Deo institutum, ut rem sacram insensibilem significem. Quam gratiam referemus tanto viro, nisi ut eum dicamus Sacramentum Sacramentorum, quod ipse de Christo asseverat? Dialog. lib. 4. cap. 11.

Trefont. Etsi, nescio quid tergi-versationis sentiam in spiritu meo, quoad societatem & fraternitatem vestram adeo dissitam, fateor tamen, me etiā astringi occulte & urgeri talibus dictis senioris nostri, ad exhibendam tibi Societatis Ecclesiasticæ dexteram; ut in hac materia in posterum non sit magna difficultas: quamvis enim soleamus duo tantum Sacramenta agnoscere; Calvinus tamē non repugnat quin impositio manuum, quæ fit in introducendis veris Presbyteris & Ministris Ecclesiæ in eorum statum, recipiatur tanquam Sacramentum. Instit. lib. 4. cap. 19. § 28.

Desid. Si Protestantibus licet pauciora credere, quàm Calvinus crediderit Sacramenta, neque hic propter excessum, aut illi propter defectū sunt condemnabiles tanquā errantes in articulo fundamētali integrū nobis erit, omnē Sacramentorum numerū, omniaq; Sacramēta ignorare; nisi quod cum VVicleffo, secundum paupertatem ingenii nostri, nos ipsos, fratresque nostros Protestantes habeamus pro Sacramentis. tunc minus errabimus, quam qui solum duo aut tria agnoscant.

Confe-

Conferentia XVII. concordiam exhibet de necessitate Baptismi.

DEsid. Necesse non foret, post prædicta, de Sacramentis in particulari agere, visum tamen est ostendere sententiam Protestantium, circa necessitatem baptismi, nullum fraternitati nostræ posse creare præiudicium, ne quis malignus garriat, fraternitatem nostram, non debite examinatis fundamentis coaluisse.

Trefont. Operæ pretium id erit, ad occludendum ora loquentium iniqua, à quibus multum patimur, cum talia, ut modo nos facimus, concordamus. quidam enim nobis etiam ex talibus occasionibus, & Turcismum & Atheismum, & graviora exprobrârunt invitis.

Desid. Condoleo. sed pergamus. Nota est sententia Protestantium, infantibus fidelium non imputari originale peccatum, atque eosdem ante baptismum regenerari. Psittaci vero, qui per fraternitatem cum Protestantibus pro fidelibus habendi sunt, nulla ratione indigent baptismo, ut qui orti ex genere Præ-Adamitico, peccatum originale non contraxerunt, ideoque nec indigent regeneratione, Interim non contemnunt baptismum, si quidem Protestantes existiment, se eo indigere.

Trefont. Non est ex fide certum apud nos, omnes fidelium infantes, etiam ritè baptizatos, & morientes sine peccatis actualibus aut regenerari, aut salvari. Gomarus in Synodo Dordrechtana ad art. 1.

Desid. Ita & de nobis sentite: nam quod usũ rationis attinet, gens nostra similis est infantibus. Non erit articulus fidei, an quisquam de genere nostro sal-

vetur aut regeneretur: sicut enim Protestantibus id licet sentire de infantibus baptizatis, multo magis censebunt tenendum esse de Psittacis.

Trefont. Dicant alii, quod volent: ego populum vestrum ex hoc capite a fraternitate nostra non possum excludere. si alii id volent. Ego author excludendi esse non possum.

Conferentia XVIII. concordiam prætendit de Cœna Domini.

DEsid. Cum Lutheranis, in hac parte, nequeunt Psittaci consentire, qui affirmant, corpus & sanguinem Domini, in eiusdem S. Cœna reperiri. Nobis placet, quod scripsit Ioannes VViclef; mentem Catholici non capere, quod panis sit corpus Christi. Dialog. lib. 4. cap. 7.

Trefont. Illa etiamnum est sententia Protestantium Angliæ, qui cum Calvino asserunt, sublimius esse in cœna nostra arcanum, quam ut vel ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat. Instit. lib. 4. cap. 17. § 32.

Desid. Quomodo conveniet inter VViclefum & Calvinum, si utriusque sententiam tenetis. VViclefo sufficit, ad non credendam realem præsentiam sub pane, vel eius specie, quod mens Catholici eam non capiat: Calvinus vult credi sublime arcanum in sua cœna, etiamsi illud arcanum nemo possit comprehendere, nemo eloqui. Ego assentior VViclefo, non esse credendum prætensum mysterium, quando id mens Catholici non capit: & sic rejicio sublime Calvini arcanum, quod ipse cognoscit se non capere.

Trefont. Sed tunc nobiscum credere non poteritis, Christum arcana & incomprehensibili sua virtute nos nutrire & vivificare sui corporis & sanguinis sub-

substãtia, per fidẽ apprehẽsa. confessio Gallica art. 36

Desid. Id revera credere non possumus: sed non credo id requiri ad propriam & distinctam essentiam eius Sacramenti.

Trefont. Qua duceris ratione?

Desid. Quod fratres nostri Lutherani essentiam istius Sacramẽti in eo non constituant. Quapropter licebit nobis cũ Lutheranis idipsum etiã pernegare.

Trefont. Licebit; si Lutheranorum sententiam tenueritis?

Desid. Vobisne auctoribus Psittaci tenebunt falsam Lutheranorum sententiam?

Trefont. Neutiquam: sed oportet alterutram tenere, ne destituamini eo sacramento.

Desid. Imò vero præstat neutrã tenere: id enim nobis licet, dum vobiscum sententiã Lutheranorum, & cum Lutheranis vestram sententiã repudiamus: vel potius dum Neutrales neutram repudiamus, sed ab utrisq; docti neutram admittimus. Porrò destitui eo Sacramento apud vos tanti non est, ut quenquam ex eo capite à fraternitate & sacris vestris removeatis: nam fratres nostri Psittaci, ex Hollandia redeuntes, constanter referunt, plurimos in eis provinciis omni sua vita abstinere à cœna, qui tamen inter Reformatos computantur.

Trefont. Constat de facto: sed illi recipiuntur, ut fratres infirmi & debiles.

Desid. Abunde satis est genti nostræ, si pari ratione detur ei ad fraternitatem Protestantium pervenire. Imo est scrupulus quidam, nos deterrens à vestræ cœnæ communione.

Trefont. Si justus sit scrupulus, ipse auctor ero, ut salva fraternitate nostra abstineatis à cæna Domini.

Desid. Iudicium tibi permitto. Legitur apud Paulum. 1. Cor. cap. 11. Probet autẽ seipsum homo: & sic

 de pa-

de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat vel bibit indignè: iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbeciles, & dormiunt multi.

Tresont. Quis tibi natus est scrupulus per eum textum?

Desid. Dicam. Vos dicitis, corpus Domini tantũ manducari à veris fidelibus per fidem: at sic nemo est, qui indignè manducet corpus Domini; nemo, qui iudicium sibi manducet & bibat. Clarissimum est hoc. Deinde dicitis, indigne manducari; quia quod symbolis offertur, vitio sucipientis non accipitur; sed illud à parte rei, non est indignè manducare, sed non manducare: & ideo revera actum positivum convertitis in negitivum. Bene, Bene, quia hanc consuetudinem tenentes in aliis fidei rebus, genti Psittacorum ingens præstatis obsequium. Accedit, quod omninò terreantur conscientiæ nostræ gravi illo Apostoli decreto: atque imprimis miramur, tantam Protestantium multitudinem in his Regnis ad cœnam vestrã accedere. Docetis, neminẽ digne manducare, neminem digne bibere, nisi vere fidelem, & vere iustificatum; docetis, nullos justificari, nisi electos ad vitam æternam. Ita singulis ad cœnam vestram accedentibus debet constare de sua iustificatione & electione. Iterum docetis, fidelibus non constare de sua electione per causam, neque evidenter: imo certitudinem de electione non esse semper firmam, dum fideles peccata sua recogitantes, magnam patiuntur contrarii formidinem. Ex quibus videtur dicendum, multò maximam partem ad cœnam indigne accedere, quod rari sint, quibus de sua prædestinatione sufficienter constet, Quapropter genti nostræ non est vere-

ten-

tendum vitio, quod tali scrupulo ducta à cœna vestra censeat, citra omnem contemptum (à quo nos Jehova custodiat, & nosti nos abhorrere) abstinendum.

Trefont. Non audeo super isto scrupulo, inconsulto Celsissimo Protectore, judicium meum proferre. Interim vobis integrum est, aliorum exemplo, à cœna nostra emanere.

Conferentia XIX. *habet concordiam de Sacramento* M*inisterii.*

DEsid. Scio à Pontificiis urgeri Sacramentum Ministerii Ecclesiastici, quod ipsi vocant ordinis. Sed cum illis non est Regi meo tractandum de Societate Religionis, quorum doctrina plurimis abundat affirmativis. fere idem judicabam de Protestantibus, cum legerem, Ministerium Ecclesiasticum esse Sacramentum, & duobus aliis Sacramentis non annumerari, quod non sit commune omnibus fidelibus, Calvinus. Instit. lib, 4 cap. 19. §. 28. magis etiam hærebam, cum viderem Protestantes Galliæ confiteri duo solum Sacramenta communia toti Ecclesiæ, confess. Gall. art. 35. quibus verbis videbantur innuere, esse aliud Sacramentum toti Ecclesiæ non commune. At verò non modico mihi erat solatio, quod nihil de eo Sacramento invenirem in aliis Protestantium confessionibus: imo quod illæ, duobus Sacramentis enumeratis, reliqua à numero Sacramentorum excluderent, vel etiam expresse reprobarent: atque ex illa varietate speravi non obfuturam præfatam doctrinam nostræ concordiæ.

Trefont. Esto bono animo; nihil Calvini nostri sententia retardabit fraternitatem optatissimam. Initiò quidem Reformationis idem contigit Luthero

quod Calvino, ut plura agnoscerent Sacramēta. Nec improbabilibus, ex sacro textu, Calvinus movebatur argumentis. Cum autem Deus paulatim Reformatos lumine majori illustraret; non potuerunt in Verbo Dei invenire sufficiens fundamentum, unde Sacramentum ministerij debitè confirmarent: ideoque illud haut immeritò à numero Sacramentorum eliminarun; existimantes sibi licere, quod Calvino licuerat, fidem scilicet de uno Sacramento deponere, pòstquam Calvinus priorem suam fidem de quatuor alijs Sacramentis rejecerat.

Desid. Perplacet mihi ille tuus discursus: quid enim impedit, quò minus dicamus & Psittacos pari cum Protestantibus lumine illustratos, ad non inveniendum in sacris literis, quod Calvinus existimat se invenisse; proindeque ad reijciendum, quod ille tenuit? Hoc vere Psittaco-Evangelicum est, tantà superni luminis claritate circumfundi, ut non videas, quod alij vident, vt non intelligas, quod alij intelligunt, vt non invenias, quod alij inveniunt; vt reiicias quod ab aliis defenditur; vt condemnes, quod ab aliis creditur. Miror quidem sæpè, tantum beneficium à Deo quibusdam Europæis esse concessum ad restaurandas, per detractionem calcis & lapidum, Ecclesiæ collapsæ ruinas. Sed majus aliquod donum genti nostræ concessum est; nam quamvis ingenti suo bono multa Reformati non videant, quæ vel Lutherani, vel Arminiani, vel Pontificij vident: nos tamen potiore instructi claritate, ne quidem illas paucissimas Reformatorum affirmationes de rebus fundamentalibus (præterquam quod commodé ad captum nostrum aliqua explicentur) videmus: moderatione vero Christianis Protestantibus digna ipsos superamus Reformatos, neminem ob quasvis affirmationes

tiones aut negationes privato nostro judicio condemnantes. illud unicè observando, ne quis nostrûm, quantolibet fuerit ignorantiæ & inscitiæ fulgore conspicuus, ad cujuscunque condemnationem prorumpat.

Trefont. Nimiæ sunt illæ populi tui laudes. Quidquid tamen de ijs sit, revertamur in viam. Licet tibi non credere Sacramentum ministerij Ecclesiastici; dummodo ex eo capite non condemnes Calvinum: cujus tantam præsumimus charitatem, ut si viveret, nos ob rejectum istud Sacramentum neutiquam condemnaret; licet ex nostris sint, qui condemnent Pontificios erroris fundamentalis, ob negatam in S. Cœna substantiam panis.

Desid. Majus utique est, rejicere integrum Sacramentum, quam hoc negare, quod vos dicitis, partem Sacramenti. Deberent illi homines vel præsumptam Calvini charitatem sequi, vel vereri simile Calvini judicium. Nos ipsum Calvinum charitate superabimus, dum licet non credere istud Sacramentum.

Trefont. Piam illam mentem laudarem, sed metuo ne à Papistis irridear, solent enim id obsequij nobis non rogantibus, in hujusmodi charitatis tractatibus exhibere.

Conferentia XX. *habet concordiam de Iustificatione.*

DEsid. Aegrè quidem pervenimus ad concordiam de justificatione, Protestantibus admirandam quandam fidem hoc loco proponentibus, quam præter Sibyllam, nemo explicet. Scio vestros hanc doctrinam vocare gravissimam & fundamentalem

lem; eandemque non unâ constare affirmatione, cujus nos nullo unquam tempore erimus capaces: ideoque in hac causa omni consilio destitutus sum.

Tresont. Ego superioribus diebus hanc materiam ruminans, primum totus hærebam; exinde ancipitis eram animi, nescio quam viam elabendi inventurus, dum plures se offerrent non planè securæ; tandem inveni ex nostris virum, qui sese ducem præberet ad stabiliendam concordiam nostram in hac re omnium difficillimâ.

Desid. Quis ille est?

Tresont. Est Ioannes Crocius, qui scribit, non fuisse causam separationis á Pontificiis, quod aliter sentirent, quam Reformati de formali justificationis causa. De Schism. p. 404.

Desid. Magni viri maximum testimonium, licebat ergo Pontificijs sententiam Reformatorum de formali justificationis causa non tenere, salvâ cum Reformatoribus fraternitate.

Tresont. Licebat.

Desid. Psittacis eodem jure idem licebit, sine præjudicio fraternitatis cum Protestantibus.

Tresont. Rectè concludis. Sed amplius est, quod pro nostra concordia dicit idem Crocius. Etsi verò, inquit, reales, eæque graves sint de justificatione controversiæ, non tamen propter illas nostri secessissent, si ipsis licuisset liberè veritatem docere atque profiteri. Ibid. pag. 440.

Desid. Ingens revera beneficium: licebit enim Protestantibus, nihil adversantibus Psittacis, liberè sententiam suam, de gravibus & realibus illis, de justificatione controversis, docere atque profiteri; dummodo nostram fraternitatem non aversentur. Neque enim æquum est, ut nos Pontificiis postponant; ab illis læsi, à nostris beneficijs affecti: illis

illis fortiter contradicentibus, nobis tantum, ob defectum capacitatis, ſublimes illas ſpeculationes non penetrantibus, ideoque nec credentibus.

Trefont. Nullum eſt periculum, ne ex hoc capite à fraternitate noſtra excludamini; poſteaquam tantum vobis inveni patronum.

Conferentia XXI *de miniſtris Eccleſiæ ſtatuit Concordiam.*

DEſid. De miniſtris Eccleſiæ optatum ſpero inter nos concentum. Noſti præcedentibus temporibus in hoc Regno fuiſſe Epiſcopos: & tunc communiter fuiſſe creditum, Epiſcopos jure divino eſſe ſuperiores alijs Eccleſiæ miniſtris; quamvis in ipſa Anglia non pauci cum ultra-marinis Proteſtantibus contrarium ſentirent.

Trefont. Apud nos non eſt de fide certum, an Epiſcopus jure divino illam ſuperioritatem habeat. Imo eliminatis ex hac Republica Epiſcopis, propemodũ de fide certum eſt, miniſtros Eccleſiæ eſſe inter ſe æquales.

Deſid. Nos pro æqualitate vel inæqualitate litem non movebimus: toti enim abhorremus à diſſenſionibus. Sufficit nobis de utrâque parte ſententiam eſſe liberam: ideoque nos omnem inæqualitatem negabimus

Trefont. Id vobis licet.

Deſid. Sed nec Senioribus indigemus: cum enim Senior idem ſit, qui Presbyter; & Presbyter idem ſit, qui Epiſcopus; periculoſum eſt admodum Seniores conſtituere, à quibus verendum ſit, ne dignitatem Epiſcopalem, reliquis Eccleſiæ miniſtris ſupereminentem, magno Proteſtantium incommodo reſuſcitent.

Trefont. Nihil inde eſt periculi: quia Seniores inter noſtros non ſunt participes impoſitionis manuum,

um,

um, & habentur tanquam judices Consistorij ministris inferiores. Discipl. Gall. cap 3. art. 1.

Desid. Non capio quidem, quomodo Episcopi illi & Presbyteri, quos Seniores nuncupatis, sine impositione manuum ad tantam dignitatem eleventur. Hoc tamen ipsum, quod non consecrentur per impositionem manuum, manifestè ostendit, Ecclesiam nostram istis non usquequaque indigere; nec propter ipsorum defectum, carere re aliqua ad directionem Ecclesiæ necessariâ.

Trefont. Nos Ecclesiis vestris non obtrudemus Seniores; dummodo in nostris Ecclesiis constitutionem Seniorum non reprehendatis.

Desid. Absit, peramande frater, absit, ut aliquid in Ecclesiis vestris reprehendamus; licet multa habeatis, quæ captum nostrum, & omnem rectam rationem longè superent, vel potius evertant. Sed tanto nobis rationis egentissimis estis cariores, secundum illud simile simili &c.

Trefont. Sed necesse est, ut habeatis ministros, siquidē perfecta inter nos debeat stabiliri fraternitas.

Desid. In quem finem?

Trefont. Vt publicè doceatur Evangelium.

Desid. Si ministri requirerentur, ut publicè sonaret doctrina Evangelij, possent etiam ex nostris constitui, qui publicè non pauca de Evangelio loquerentur; sed docere gens nostra non didicit. Possent quidem ex vestris assumi (ut olim dicuntur fecisse Waldensium reliquiæ) ad instruendum populum nostrū, sive per negativa, sive per contradictoria, sive etiam per affirmativa sine mente profitenda; nisi domi vestræ nasceretur remedium.

Trefont. Quodnam illud?

Desid. Patronus Angliæ Molinæus scribit, paucis articulis totam pietatem Christianam comprehendi,

di, quique tam evidenter in S. Scriptura elucent, ut nullâ indigeant interpretatione. Nouaus du Papis. lib. 1. cap. 21. & 22.

Trefon. Quid inde conficis.

Desid. Inde concludo, non esse necessarium ministerium Ecclesiasticum: quid enim opus est, interpretando docere, explicando inculcare ministros, quod nec interpretatum, nec explicatum à quovis fideli intelligitur?

Tresont. Hoc idem frequenter ingeminat Celsissimus noster Protector; liberam cujusvis fidelis exhortationem modis omnibus commendans. Ipse interim permittit, & protegit ordinem in Ecclesijs nostris constitutum.

Desid. Satis est. Licebit & Psittacis, posthabito ministerio Ecclesiastico, ordinem Ecclesiarum vestrarum permittentibus, sibi vivere, & quandoque ad communes laudes sub dio convenire.

Trefont. Celsissimus Protector non erit vobis in hoc contrarius.

D. si. Sed nec vos rationabiliter potestis esse cõtrarii.

Trefont. Quo fundamento?

Desid. Quia, si res debitè examinetur, etiam vos caretis legitimo ministerio. Docetis, baptismum sine vocatione administratum, esse nullum. Discipl. Gall. cap. 11. art. 1. docetis, Pontificiorum vocationem nihil valere. Ibid. cap. 1. art. 2.

Trefont. Docemus etiam, baptismum, in Papatu collatum, esse validum, Conf. Gall. art. 28. docemus, vocationem à Pontificiis acceptam, esse validam. Synop. disp. 42. n. 41.

Desid. Scio, vos ista docere, Psittacis gaudentibus & plaudentibus, imò, si voletis, idem vobiscum docentibus, quod contradictoriorũ æque ac negativorum sint capaces. Sed quic quid sit, si Pontificij careant vo-

catio

catione, nullus fuerit baptismus in Ecclesia Pontificia primis Reformatoribus collatus, nullus etiã universorũ Protestantium baptismus, omni vocatione olim deletâ. Ita nihil est, unde doceatis, quẽquã esse baptizandum; nihil, unde tueamini missionem ordinariam; nihil, unde recurratis ad missionem extraordinariam solam cui renunciastis. Crocius, Anti-Bec. tom. 2. contr. 12. sect. 12.

Tresont. Nihil opus est, hæc multum examinare. Multa à nostris, in hac materia, pro ratione temporis scripta sunt. Ego, iuxta prædicta, nulli auctor fuero, ut recusanti Ecclesiæ obtrudat Ministerium Ecclesiasticum.

Conferentia XXII. pacem adfert de observatione Legis Dei.

D*Esid.* De observatione Legis Dei perbellè inter nos conveniet, dummodo sententia Protestantium recte proponatur. Nam licet pleraque sint negativa, videntur tamen Protestantes, in gratiam populi nostri etiam de affirmativis eam fovere sententiam, quæ nobis sit minime adversa; dum generaliter docent, legis observationem esse impossibilem.

Tresont. Neque potuit, aut potest ulla caro legi Dei satisfacere, & hanc adimplere, ob imbecillitatem in carne nostra, ad extremum usque spiritum in nobis hærentem atque permanentem. Conf. Helv. art. 12. ideoque negamus, posse hominem ulla ratione legi Dei satisfacere, quæ perfectam obedientiam postulat. Conf. Angl.

Desid. Non poterat nobis convenientius exhiberi patrocinium. libenter enim vobiscum profitebimur, Legem Dei esse observatu impossibilem: & sufficere, si eam teneamus memoriter, scientes nos nullo modo ei posse satisfacere.

Tres.

Trefont. Sed num-quid à veritate aliena est illa professio; cùm vos nequeatis falsum reddere testimonium.

Desid. Modicum non curat Prætor; si nos in eo rei sumus, unde vos eximimini qui agnoscitis vos omnium præceptorum transgressores, nec tamen dici vultis vel homicidæ, vel adulteri: quod mei populares dici de se non exhorrescunt.

Trefont. Ista ad subtiliorem pertinent discussionem. Alia est transgressio contra conscientiam, alia per imbecillitatem, & per negligentiam. Nobis interim nulla lis, quin lex Dei, etiam à renatis observari non possit.

Desid. Nec à nobis non renatis. qui etiam in hoc superamus renatos, quod sumptibus renascendi supersedemus.

Conferentia XXIII. de mutuo consensu statuit, nullum iusti opus esse conforme præcepto.

DEsid. Multum me torsit etiam illa quæstio; An iustus, quandoque aliquod opus exerceat, quod non sit peccatum? Illi enim quæstioni, si affirmativè decideretur, videbam esse connexum, ut possibilis dicenda sit legis Dei observatio, ingenti fraternitatis Psittaco-Evangelicæ præiudicio. Nam si dicatur iustus in aliquo opere non peccare; quod potest hoc instanti, vel momento temporis, poterit & sequenti, ac sic de reliquis; nec ratio ulla supererit, cur censeatur, Legē Dei observare nō posse.

Trefont. Recte iudicasti de istarum quæstionum connexione. Ideo autem Protestantes, docentes impossibilem esse legis Dei observationem, consequenter statuunt, nullum iusti opus esse conforme præcepto.

Desid. Placet id mihi, quod quantum fieri potest,

teſt; doctrinam ſuam non ſubvertant. Sed audi, frater, quid dicat ſcriptura veſtra de Hiobo: In omnibus his non peccavit Hiob, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. Hiob. 1. In omnibus his non peccavit Hiob labiis ſuis. Hiob. 2. Dominus dixit ad Eliphas Themaniten, iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Hiob. Hiob 24. Audi iterum de Zacharia & Eliſabeth: erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & Iuſtificationibus Domini ſine querela. Luc. 1. Hæc & ſimilia præſumptionē mihi faciebant, ne fortè doceretis, aliquod iuſti opus eſſe conforme præcepto Dei.

Trefont. Solent talia Pontificii adducere; Sed conſtantia Proteſtantium, variis diſtinctionibus tuta, eiuſmodi allegationibus non movetur. Maneat inter nos certum, nihil iuſtis eſſe laborandum de opere, quod ſit conforme præcepto Dei.

Deſid. Gratum Pſittacis decretum.

Trefont. Et negative Evangelicum.

Conferentia XXIV. pacem adfert de diſtinctione perſonarum in Deo.

DEſid. Multa premor anxietate circa diſtinctionem perſonarum in Deo; vereorque, ne unica hæc difficultas plenæ inter nos fraternitatis ſpem elidat.

Trefont. Illud idem mihi videbatur, antequam optatiſſimi Indifferentiſtæ fratris noſtri Doctoris Georgii Calixti ſententiam vidiſſem ponderatam in Synopſi Abrahami Calovii. Negat enim Calixtus opus eſſe modum, quo æternum numen aut exiſtat aut operetur, cognoſci, vel etiam ab iis, qui alios docent, exponi. diſp. 3. Thes. 8. *De-*

Desid. Hoc quidem concernit modum divinæ existentiæ & operationis: sed tota difficultas est in modo distinctionis personarum.

Trefont. Ab altero in alterum facilis est transitus. Iuxta Calovium, articulum fidei præcipuum de vera & reali distinctione personarum Trinitatis negat Calixtus, quia modalem, aut virtualem, aut eiusmodi aliquam distinctionem in SS. Trinitate statuit. D sp. 5. thes. 9.

Desid. Istud testimonium nobis est utile: nam Calixto præeunte, realem distinctionem non affirmabimus; & abstinebimus à distinctione modali aut virtuali, vel alia quacunque, ne censura Caloviana nos feriat.

Trefont. Ferè affirmaverim, magnum illum Calixtum in spiritu suo syncretistico prævidisse hanc Regis tui Legationem pro societate Religionis obtinenda; adeo indulget populo ingenii tenuitate laboranti. Scribit enim; fundamentum eum fidei retinere, qui assequi nequeat, Christum unigenitum esse Dei Patris filium. Disp. 5. Thes. 12.

Desid. Meretur is in fastis regni nostri primum à Regibus nostris locum. Nos profitemur, nos assequi non posse, Christum unigenitum esse Dei Patris filium: & negamus cum Calixto, nos ideo, tanquam fundamentum fidei non retinentes à societate religionis Domnistico-Calixtinæ excludendos.

Conferentia XXV. communi consensu de confessione statuit.

TRefont. Superata difficultate ista palmari, etiam de Confessione statuenda est concordia. Quã-vis enim fratres nostri Lutherani confessionem & absolutionem privatam in Ecclesiis suis, ceu con-

formem verbo Dei, retinendam esse censeant: melius tamen Calvinus noster docet, privatæ confessionis originem ex putidis Papistarum lacunis prodiisse. Calovius. *Disp.* 29. Thes. 1.

Desid. In neganda confessione privata, habebis Psittacos obsequentes; ut quorum intellectus est perspicacissimus circa non-entia. At vero vobis inquisitionem relinquunt; num prodierit illa confessio ex sordibus Papalibus, vel sit verbo Dei conformis; super quo sive cum fratribus vestris transigatis, sive litem suspensam relinquatis, ad populum nostrum non pertinebit eius cura.

Tresont. Rectè iudicas. Sed quemadmodum de confessione statuimus, ita etiam de absolutione; neque enim externo Ministri verbo vis aliqua divina tribuenda est; quod nullus homo possit remittere peccata, uti cum nostris tradit Calixtus vir doctissimus, & in negationibus pro pace Ecclesiarum adinveniendis felicissimus. Calovius. Disp. 29. thes. 5.

Desid. Nihil hîc difficile, ubi universa negativa: Nos nihil credemus de absolutione, qua non indigemus. Si Lutherani velint in cœlis solvi, quicquid in terris à verbi Ministro solvitur, non resistemus; dummodò nobis & fratribus nostris Angliæ Protestantibus, Presbyterianis, Independentibus, & Germanis nostris dilectissimis Calixtinis articulum illum positivum non obtrudant credendum.

Tresont. De Lutheranis exigua nobis cura est; plerique doctiores & politici Calixtisant, sicut nos Dominisamus: Calixtus autem & Marcus Antonius Psittacorum fraternitati aperuerunt latam viam: ita paulatim per totam Europam Rex vester habebit Religionis suæ consortes plurimos.

Conferentia XXVI. de discrimine ciborum habet consensum.

DEsid. Audio, apud Pontificios, Græcos, Moscos aliosque servari abstinentiam à certis cibis per quædam determinata anni tempora: vidi tamen cum ingenti gaudio, in vestris Ecclesiis nihil simile reperiri.

Tresont. Merito discrimen ciborum à nostra communitate eliminavimus: quamvis enim Apostoli Act. 15. sanguinem & suffocatum prohibuerint; nostra tamen fragilitas eiusmodi abstinentias, libertati & commoditati Christianæ nocivas, haud patitur imponi liberis Christianis.

Desid. Verum, ieiunium nobis familiare est, quãdo omnes cibi nobis subtrahuntur; quod, proh dolor! frequenter nimis contingit. Interim non condemnamus abstinentes à certis cibis, contra quos nauseam habent: nec damnamus manducantes, quãdo nonnullæ reliquiæ ad gentem nostram consuerunt pervenire.

Tresont. Condemnandi omninò forent, qui ex lege à quibusdam cibis abstinent, iuxta confessiones nostras: sed Marcus Antonius, & Calixtus, per abundantiam charitatis suæ liberant nos à necessitate condemnandi; salva cuiusvis libertate & commoditate.

Conferentia XXVII. concordiam adfert de Resurrectione.

TResont. Gravis superest difficultas, de corporum resurrectione; qua super habemus articulum Symboli Apostolici omnibus modis tenendum;

& à quo neutiquam licet recedere. Credimus enim in extremo die non alia diverſa, ſed eadem numero corpora, quæ in hac vita geſſimus, à morte eſſe revocanda.

Deſid. Sentirem non immerito pondus hujus difficultatis, niſi Arminiani traderent, non eadem illa corpora reſurrectura, quæ nunc circumferimus, ſed alia nobis danda, eaque ſubſtantiâ ſpiritualia & cæleſtia. Calovius. Diſp. *37.* Theſ *6.*

Treſont. Arminiani non ſufficiunt ad tollendam hanc difficultatem, quorum auctoritas perexigua eſt, & à Proteſtantibus Angliæ vilipenditur; quamvis ante hac á multis ſuſpiceretur.

Deſid. Sed Anabaptiſtæ, quorum aliqua eſt cum Independentibus affinitas, ſtatuunt in reſurrectione corpora carne & oſſibus caritura. Calovius. Ibid.

Treſont. Poſſet Anabaptiſtarum ſententia apud Celſiſſimum Protectorem noſtrum conſiderationem mereri; niſi ſemel ſolenniter ſtatuiſſet Proteſtantibus non adverſari. Videntur etiam nimis aliené fingi corpora humana ſine carne & oſſibus, quaſi ſola inteſtina cum nervis, venis & arterijs reſurgerent.

Deſid. Dabo, quod ſolidius eſt, & in hac cauſa peremptorium; Calixtus cum ſuis tradit, corpus mortale & immortale naturâ differre, & hominem per mortem ſupernaturaliter mutatum iri, etiam ratione ſubſtantiæ & eſſentiæ. Calovius Ibid.

Treſont. Magnum illud eſt maximorum virorum teſtimonium.

Deſid. Si corpus mortale & immortale naturâ differunt; non eſt unum idemque corpus: ſi homo in reſurrectione ſupernaturaliter mutatur ratione ſuæ ſubſtantiæ vel eſſentiæ, non ſunt eadem numero corpora, quæ reſuſcitabuntur. Et ſic idem erit, ſive

Calix-

Calixius vivens habuerit corpus ranæ, Pſittaci, vel hominis, cum putaverit ſe aliud pro alio corpus recepturum.

Treſont. Dura eſt ſequela; ſed tamen legitima. Propter autoritatem Calixti eximiam non audeo gentem veſtram à noſtra fraternitate excludere, etiamſi nequeat credere, ſua corpora poſt mortem reſuſcitanda eſſe.

Deſid. Placet & iſte eſt ultimus Symboli Articulus, de cæteris enim jam vel convenimus, vel non neceſſarios eſſe ad fraternitatem remonſtravimus in præmiſſis collationibus.

Conclusio Conferentiarum.

DEſid. Poſtquam in tot, tantiſque rebus conſtituta eſt inter nos concordia; ſupereſt, ut auctoritate ſolenni fraternitas Pſittaco-Evangelica-Proteſtantica-Anglica Angelica-Protectoralis confirmetur: Et ſiquidem Dominus Trefontius eam apud Celſiſſimum Cromvvellium perurſerit; erit nomen eius magnum apud omnes Auſtrales populos Regi meo ſubjectos.

Trefont. Mihi initio videbatur abſurda propoſitio, de fraternitate Religionis cum Pſittacis ineunda: ſed quemadmodum equi inter ſe ignoti non ferrunt ſeſe ad eundem currum, donec aſſuetudine alter alterius halitui ferendo par fuerit: ita conſuetudo noſtra fecit, ut per multos articulos in idem conſpiremus. Ego certè pro viribus meis allaborabo, ut Celſiſſimo Protectori noſtro perſuadeam, quod mihi eſt perſuaſiſſimum, Pſittacorum Regi fraternitatem & communionem Religionis cum Proteſtantibus Anglis, Dominiſtis & Calixtinis non eſſe denegandam.

Re-

Relatio Doctissimi viri Magistri Tresontii ad Celsissimum Dominum Protectorem.

IVxta mandatum Celsitudinis suæ exhibeo in scriptis viginti & septem conferentias cum Excellentissimo Domino Desiderio de Oliva Regis Psittacorum Legato variis diebus habitas; ex quibus perspiciet Celsitudo sua, quanto fructu Doctores nostri longe maximam fidei nostræ partem ad Negationes & Non-entia reduxerint: quanta utilitate Marcus Antonius de Dominis, Georgius Calixtus & alii viri præstantissimi à condemnatione dissentientium existimaverint abstinendum. Nisi enim ista subtilitas, & hæc moderatio intervenisset; præter damnum, quod per Pontificios Ecclesiis nostris imminebat, nunquam spes fuisset fraternitatem Religionis cum Rege Psittacorum ineundi, & doctrinam Evangelicam per vasta illa terrarum spatia dilatandi. Nunc autem à tanto Rege requisiti, fraternitatem Religionis videmur negare non posse, nisi multos nostrorum, & præcipue Dominiſtas & Calixtinos à Societate nostra excludamus, magno omnium bonorum luctu, politicoram indignatione, infirmorum perplexitate. His exclusis, nihil amplius cogitandum erit de Dictatura, summoque Pontificatu, Patriarchatu oecumenico, & Episcopatu Celsitudini suæ, in omnes per Europam orbemque universum Protestantium Ecclesias, deferendo; ut qui non nisi mediante Doctorum istorum subtilitate, ac moderatione ad celsitudinem suam queat perveni-re. Quapropter si chara sit ista dignitas, si utiles Ecclesiæ Calixtini & Dominiſtæ, meo quidem iudicio, non possumus Regem Psittacorum à societate Religionis nostræ excludere, quæ ad magnam Prote-

Protestantium gloriam per vastum illud regnum dilatabitur. quicquid adversus hanc sanctam unionem obloquantur nonnulli Lutherani & ignorantes Pontificii,

Resolutio Celsissimi Protectoris.

AVdita relatione Doctissimi viri Magistri Tresontii super communicatione in puncto Religionis cum Excellentissimo Domino Desiderio de Oliva Regis Psittacorum Legato; visisque ac mature per nos ipsos ponderatis conferentiis inter illos habitis, nec non attenta approbatione spiritus nostri; declaramus, Regem Psittacorum cum populo sibi subiecto in societatem Religionis ab omnibus Protestantibus licitè & sine ullo præiudicio sive ab hæresi, sive à superstitione & idololatria recipi & admitti posse. Mandantes nationibus Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ auctoritate, qua fungimur in temporalibus & spiritualibus supra omnes Reges prædecessores nostros, ut proximo biennio præfatum Regem & populum Psittacorum pro genuinis fratribus & sociis Protestantium, Presbyterianorum & Independentium suscipiant & agnoscant. Requirentes etiam fratres nostros Reformatos, Lutheranos, Doministas maximè & Calixtinos; nec non pauperes VValdenses per universam Europam, Asiam, Africam & Americam, ut nostro freti exemplo Regi Psittacorum, eiusque populo dexteras societatis non denegent; donec, biennio evoluto, & Monitis deputatorum interea allatis; res ipsa ad promotionem Evangelii nostri fuerit plenius examinata, discussa & conclusa. Ita volumus, non obstantibus quibuscunque conciliis Generalibus, Nationalibus, Provincialibus: non obstantibus Con-

fessionibus & Disciplinis: non obstantibus Cathechismis, Liturgiis, & libris symbolicis, non obstantibus edictis Regum ac Principum, neque arrestis Perlamentorum & Statuum: nam quod Luthero licuit & Calvino, nobis potiore iure licet, siquidem plus quam Lutherus & Calvinus hic.

Datum, Londini 3. Octobris. 1657.

OLIVERIVS CROMVVELLIVS, Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ.

Locus † Sigilli.

FINIS.



CURIOUS OLD SKIT ON CROMWELL.

84 **CROMWELLIAN PURITANISM** (a Contemporary Satire).—LEGATIO REGIS PSITTACORUM è TERRA MAGELLANICA seu AUSTRALI pro SOCIETATE RELIGIONIS ad CROMWELLIUM ANGLIÆ, SCOTIÆ & HIBERNIÆ PROTECTORUM, imp. folio, *Septentrionali sun Theo., Juxta Copiani Prothocolli Londinensis* (56pp.), 12mo, *wrapper*, RARE, 21s
1658

A most curious little skit from (shall we say) the King of the South Pole to Cromwell, Protector by Divine Right of England and the lands under the North Pole, suggesting a fraternal conference to decide on articles of belief which might be equally acceptable at the South Pole.

It would be published in Cromwell's time, and is almost certainly unique; came from a fine old library, and bears on flyleaf the inscription "Emt . . . Bibiioth. Loescher Dresden VI. Kal. Feb. MDCCLI."